1401

SUMMARIUM ADDITIONALE.

Num. 1.
Constitutio Cælestini PP. II., omnium Cardinalium approbatione munita, qua Ordo SS. Sepulchri suscipitur sub immediata protectione S. Sedis, & prohibetur, ne quis ipsius Personas, & Bona perturbare audeat.

CÆlestinus Episcopus &c. Dilectis Filiis Priori, & Fratribus S. Sepulchri Hierosolymitani tam præsentibus, quàm futuris canonicè substituendis in perpetuum &c. *Quia igitur Dilecti in Domino Filii juxta Regulam Beati Augustini vivere decrevistis, & in Loco, ubi steterunt pedes Domini adorantes*, apud gloriosum Sepulchrum ejus, in quo triduo corporaliter requievit, & alia Sacratissima Loca, in quibus Redemptor Mundi pro salute nostra vincula, flagella, Crucis ignominiam, vulnera, mortemque substinuit, *regulariter militatis*, majori vos benevolentia, & gratia dignos esse censemus, & paternis vos affectionibus volumus consovere; Vestris ergo postulationibus debita benignitate accommodantes assensum, *Sacrosanctam Ecclesiam S. Sepulchri, in qua Divinis obsequiis insistentes, Passionem Dominicam, & Victoriosissimum Crucis triumphum assiduè oculata fide recolitis*, necnon etiam *Personas vestras sub Beati Petri, & nostra Protectione suscipimus, & præsentis Scripti pagina communimus*; Statuentes, ut *quascumque Possessiones, quæcumque Bona* eadem Ecclesia in præsentiarum canonicè possidet, quæcumque etiam ab egregiæ memoriæ Viris, Duce videlicet Godefrido, & utroque Rege Balduino, Venusto quoque, & aliis Patriarchis eidem Loco justè collata sunt, aut in posterum à Patriarchis, vel aliis Dei Fidelibus rationabiliter conferentur, *firma vobis, & illibata permaneant*; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis &c. Decernimus ergò, ut nulli omnino hominum liceat, *prædictam Ecclesiam temere perturbare*, aut etiam possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, *seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integrè conserventur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura &c.*. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, Sæcularisve Persona hanc nostræ Costitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertioque commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat &c., & à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domi-

A

B

C

mini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat &c.
CÆLESTINUS PP. II.

D

Ego Gregorius *Presbyter Cardinalis* tituli S. Calixti subscripsi. Ego Gorzo *Presbyter Cardinalis* tituli S. Cæciliæ subscripsi: Ego Hunabaldus *Presbyter Cardinalis* tituli S. Praxedis subscripsi: Ego Hunabaldus *Presbyter Cardinalis* tituli S. Joannis, & Pauli subscripsi: Ego Corardus *Sabinensis Episcopus* subscripsi: Ego Theodeurinus *S. Rufinæ Episcopus* subscripsi. Ego Albericus *Hostiensis Episcopus* subscripsi: Ego Stephanus *Prænestinus Episcopus* subscripsi. Ego Imarus *Tusculanus Episcopus* subscripsi: Ego Gregorius Diaconus *Cardinalis* SS. Sergii, & Bacchi subscripsi. Ego Orco Diaconus *Cardinalis* S. Georgei ad Velum Aureum subscripsi: Ego Octavianus Diaconus *Cardinalis* S. Nicolai in Carcere Tulliano subscripsi. *Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Cardinalis IV. Idus Januarii Incarn. Dom. anno* 1143. *Pontificatus verò D. Cælestini PP. II. anno primo*.

Num. 2.

Alexander quoque III. anno 1167. ad exemplar Prædecessorum Pontificum denuò recipit sub protectionem S. Sedis Ordinem SS. Sepulchri.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Petro Priori *Ecclesiæ S. Sepulchri*, *ejusque Fratribus* tam præsentibus, quam futuris *Regularem vitam Professis* in perpetuum. Quoties illud a Nobis petitur, quod Religioni, & honestati noscitur convenire, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impartiri. Eapropter Dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & *præfatam Ecclesiam*, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar *Prædecessorum nostrorum p. m. Honorii, Innocentii, Cælestini, Lucii, & Eugenii* Romanorum Pontificum *sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus*, & præsentis scripti privilegio communimus &c.

A

B

Statuit, quod Patriarcha nil possit peragere sine consensu Capituli Canonicorũ Regularium SS. Sepulchri.

Statuimus quoque, ut non liceat *Patriarchæ*, sive Priori res Ecclesiæ nisi de communi, aut sanioris partis *Canonicorum consilio* distrahere, aut quomodolibet alienare, seu possessiones impignorare &c. Sancimus etiam, ut non sit fas *Patriarchæ*, sive *Priori* aliquem de vobis sine *Consilio*, & *assensu Capituli*, vel sanioris partis ejus ad aliquam obedientiam Cismarinam dirigere &c.

C

Quodque nullus alius esse valeat Patriarcha, nisi quem

Obeunte vero ejusdem loci Patriarcha, *nullus* ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia *præponatur*, *nisi quem Fratres ipsius Loci communi consensu*, *vel Fratrum Pars Consilii Sanioris* secundum Dei timo-

rem

rem, & SS. Patrum Statuta *canonicè providerint eligendum &c.* Datum Beneventi per manum Giraldi S.R.E. Cardin. 6. *Non. Martii In carnntionis Dominicæ* 1167. Pontificatus vero D. Alexandri Papæ III. anno nono.

iidem Canonici de eorum gremio elegerint.

Num. 3.

Ac præmissa omnia sua Constitutione confirmavit etiam anno 1195. *Cælestinus PP. III.*

Cælestinus Episcopus &c. Dilectis Filiis Gaufrido Priori Ecclesiæ *S. Sepulchri*, ejusque Fratribus tam præsentibus, quam futuris Regularem Vitam Professis in perpetuum &c. Eapropter dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & *prædictam Ecclesiam*, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar Prædecessorum nostrorum piæ memoriæ *Honorii*, *Innocentii*, *Cælestini*, *& Lucii*, *Eugenii*, *& Alexandri* Romanorum Pontificum *sub Beati Petri*, *& nostra Protectione suscipimus*, *& præsentis Scripti privilegio communimus*; In primis siquidem statuentes, *ut Ordo Canonicus*, *qui secundum Domini*, *& Beati Augustini Regulam in ipsa Ecclesia institutus esse dignoscitur*, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea *quascumque possessiones*, *quæcumque Bona* eadem Ecclesia in præsentiarum justè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis poterit adipisci, *firma vobis*, *vestrisque Successoribus*, *& illibata permaneant*, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis &c. Omnia insuper, quæ &c. ubique locorum in Partibus Ultramontanis sæpedicta Dominici Sepulchri Ecclesia legitimè possidere dignoscitur, vel in futurum largiente Domino acquirere poterit: omnes nihilominus antiquas, & rationabiles Ecclesiæ Consuetudines vobis, vestrisque Successoribus perpetua libertate *confirmamus*, sane de his, & aliis Possessionibus, & Bonis vestris *liberam disponendi*, *communi tamen consilio*, ad honorem & Ecclesiæ vestræ profectum habeatis libertatem Transfretante autem *Patriarcha Hierosolymitano*, Prjor, & Canonici Domum, ut justum est, & *Familiam Patriarcæ*, & omnia, quæ ad jus ejus spectant, intus, & extra custodient, & regent, donec ipse redierit. *Obeunte ejusdem Loci Patriarcha*, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, *nisi quem Canonici ipsius Loci communi assensu*, *vel Canonicorum pars consilii Sanioris* secundum

A

B

C

D

E

F

Dei timorem, & SS. Patrum instituta *canonice providerint eligendum*: Nihilominus quoque vobis auctoritate Apostolica confirmamus Stationes Templi Domini Montis Syon &c. Addicimus etiam, ut licitum sit vobis malefactores vestros, & specialiter vobis Decimas auferentes, qui de vestra Parochia fuerint &c. nisi, legitimè commoniti satisfecerint, interdicti, & excommunicationis Sententia in Patriarchæ vestri absentia condemnare. Statuimus, quoque, ut *non liceat Patriarchæ, sive Priori res Ecclesiæ, nisi de communi, aut Sanioris partis Canonicorum Consilio distrahere*, aut quomodolibet alienare, seu Possessiones impignorare &c.: Sancimus etiam, ut non sit fas Patriarchæ, sive Priori aliquem de vobis *sine consilio, & assensu Capituli*, vel Sanioris partis ejus ad aliquam obedientiam Cismarinam dirigere, seu ab Officio suo suspendere, & à Consortio Canonicorum removere nisi ob manifestam culpam &c. Decernimus ergò, ut nulli omnino hominum liceat *prædictam Ecclesiam temere perturbare*, aut ejus Possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed *Illabata omnia, & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus commodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Hierosolymitani Patriarchæ Canonica reverentia*. Si qua igitur in futuram Ecclesiastica, seculari sue Persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertio commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisve sui dignitate careat &c.; Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi &c.

Ego Cælestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Sequuntur subscriptiones Cardinalium.

Datum Laterani per manum Centii S. Luciæ Diaconi Card. D. PP. Camerarii Idibus Februarii Incarn. Dominicæ anno 1295. Pontificatus verò D. Cælestini PP. III. anno quinto.

Num. 4.

Sententia Rotalis edita in Causa Tyrasonen., qua fuit canonizata Exemptio nostri Ordinis ab ju-

CHRISTI Nomine Invocato. Pro Tribunali sedente &c. per hanc nostram definitivam Sententiam, quam de RR. PP. DD. Coauditorum nostrorum consilio, & Voto in his Scriptis ferimus in Causse, & Causis, quæ primo, & in prima coram Eminen-

risdictione Episcopi Tyrasonen.

nentissimo Corio tunc Sacræ Rotæ Auditore, secundo, & in secunda coram Reverendissimo P. D. Calcagnino Decano, tertio, & in tertia, seu alia veriori coram Nobis versæ fuerunt, & vertuntur instantia *inter Reverendissimum Dominum Episcopum Tyrasonen., ejusque Promothorem Fiscalem Actores ex una, & Reverendissimos Priorem, & Canonicos Insignis Regularis, & Regalis Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Sepulchri Civitatis Calatayubii* Reos conventos Partibus ex altera de, & super confirmatione, vel infirmatione Sententiæ dicti Reverendissimi Calcagnini confirmatoriæ alterius latæ per dictum Reverendissimum Corium in ea parte, in qua declaratum fuit, Reverendissimos Priorem, & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Sepulchri, aliosque respectivè deferentes habitum, & profitentes Institutum *Sancti Sepulchri* subjectos esse omnimodæ jurisdictioni Reverendissimi Episcopi Tyrasonen., ejusque Officialium, & alias latius, prout in eis, *inhærentes Decisionibus coram Nobis æditis sub diebus* 30. *Januarii, &* 22. *Junii* 1739. seu &c. dicimus &c. & definitivè sententiamus, benè fuisse pro parte dictorum Prioris, & Canonicorum appellatum, & reclamatum a Sententiis latis per dictum Eminentissimum Corium, & Rm̃um Calcagninum, & malè, ac perperam per illos judicatum, propter eaque Sententias prædictas fuisse, & esse revocandas, & annullandas, prout revocamus &c., & pro hujusmodi effectu *prædictos Rm̃os DD. Priorem, Canonicos, aliosque deferentes habitum S. Sepulchri fuisse, & esse exemptos quoad eorum personas ab omnimoda Episcopi Tyrasonen. jurisdictione*, litterasque exeqnutoriales desuper decernentes, & relaxantes, prout decernimus, & relaxamus in omnibus, & per omnia ad formam supradictarum Decisionum, ad quas &c., ac molestationes &c., & perturbationes per dictum Rm̃um Episcopum, ejusque Promothorem Fiscalem illatas fuisse, & esse nullas, injustas &c., ac desuper his eidem Rm̃o Episcopo &c. perpetuum silentium &c. imponimus, Victumque Victori &c. in expensis condemnamus. Et ita dicimus &c., & definitivè sententiamus &c. omni &c.

Ita pronunciavi Ego Claudius F. de Canilliac *S.R. A., & Judex Commissarius.*

Ex

Num. 5.
Probatur, Præposituram S. Spiritus in Prævorsko *esse Conventualem, & adnexum habere Monasterium Canonicorum Regularium SS. Sepulchri ibidem degentium, eamdemque Præposituram, & Monasterium esse subiecta Rmo Præposito Generali Miechovien. d. Ordinis.*

A

Ex Decis. *Præmislien. Præpositurae super Conventualitate* 22. *Januarii* 1761. *cor. Rmo P. D. Ratta Decano.*

1. Ecclesiam S. Spiritus unicam Parochialem Oppidi *in Prævorsko* ex pluribus A' PREPOSITO GENERALI ORDINIS SANCTI SEPULCHRI cumulatis probationibus &c. *Conventualem esse*, & Ordinariæ Episcopi jurisdictioni non subjectam &c., statuit *Decisio* 27. *Februarii superioris anni cor. me &c.*

2. Mansit enim, quod *Ecclesia S. Spiritus, annexum habens Monasterium Canonicorum Regularium S. Sepulchri ibidem degentium* sub Præposito Animarum Curam exercente, in ipso litis primordio reperta est in quasi possessione *Conventualitatis*, de qua unanime simul, & irrefragabile testimonium perhibuerunt Consules, ac jurati Oppidi Lezausko, Custos Conventus Sancti Francisci &c., ac tres finitimorum locorum Parochi, uno velut ore doponentes, *prædictam Ecclesiam jamdiú esse Cunventualem cum clausura, & qualitatibus illius Conventualitatem præseferentibus &c.*

B

3. Tanto magis quia in hypothesi non sola concurrit Conventualitatis quasi possessio &e., verum etiam plura insuper præsto erant monumenta, quæ ejusdem Ecclesiæ Conventualitatem manifestam ostendere visa sunt. Occurrit enim fundatio ab anno usque 1394. peracta à Joanne de Zarnou &c., qui dum fundavit, ac dotavit *Monasterium S. Spiritus*, seu Ecclesiam S. Catharinæ, illius Rectorem vocavit Præpositum, ibique Missas tum privatas in Oratoriis, tum solemnes in Ecclesia *ab ejusdem Monasterii Sacerdotibus* celebrari mandavit; Singula autem hæc, scilicet Monasterii fundationem, titulum Præpositi, celebrationem Missarum à Regularibus Sacerdotibus adimplendam, perspicue Ecclesiæ Conventualitatem demonstrare perspectissimum est &c.

8. Quorum è conspectu incassum desiderari videretur probatio existentiæ Arcæ, & Massæ Communis, Sigilli, Archivii, & aliorum hujusmodi, Horum enim probatio requiritur, ubi res est de inducenda Collegialitate, seu Conventualitate in Ecclesiis Sæcularibus &c., aliter verò se res habet in hypothesi, in qua res est *de Ecclesia Regulari adnexum habente Monasterium cum Canonicis Regularibus in eo degen-*

gen-

gentibus . Hoc enim in themate nulla requiritur probatio vel formalis erectionis, vel aliorum requisitorum, quippe quia *Ecclesiæ Regularium Conventuales* esse, & cuncta ad Conventualitatem necessaria requisita de jure habere præsumuntur &c.

C

Ex Decis. *Cracovien. Præposituræ* 14. *Maii* 1773. §.3. *coram bon. mem. Riccio = ibi* = Præcipuum sanè contumacialis Decisionis fundamentum sistebat in eo, quod Cyrilli Litteræ justificari non poterant &c. : At contrarium hodie compertum est, quia demonstrabat *Cyrillus*, vera esse, quæ Summo Pontifici exposuit; Exposuit enim, *PRÆPOSITURAM CONVENTUALEM S. HEDVIGIS Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Sepulchri* vacasse, quia sine Apostolica dispensatione retinebatur à Fanstino Rutovvicz Canonico Regulari ejusdem Ordinis &c.

Num. 6.

Conventualem quoque esse Præposituram S. Hedvigis *ejusdem Ordinis, recognovit etiam Sacr. Rota ex testimonio Cyrilli Zuchovvski.*

R. P. D.

AZEDO

Cracovien. Exemptionis

Super Bono Jure.

PRO

Rmo D. Matthæo Buydecki Præposito
Generali Canonicorum Regularium
Ordinis SS. Sepulchri.

Gg

Summarium Additionale

19

Typis Lazzarini 1777.